



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. II. Concluditur intentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

quàm humanis &c. sed non ostendit libertatem moralem, non requiri ad moralem ipsius observantiam, vel moralem transgressionem, quo tamen sensu concedi possit impotentia moralis, per proportionem ex dicendis infra, colligetur.

DICES 3. Potest Berta superare tentationem fornicationis propter infamiam securam ex amissa virginitate: item si aliquis ex motivo venialiter malo, vincat tentationem: denique hæreticus potest subire mortem propter suum errorem, ergo ad vincendam tentationem non erit necessaria gratia.

RESPONDETUR. Quod attinet ad priores duas instantias, etiam amor ille defugiendæ infamiae, cum sit actus honestus moraliter, indigeat gratiâ proportionatâ, in hoc, quod est vel le fugere illam turpitudinem. Quod attinet ad duas illas posteriores instantias, illæ in præsentem non convincunt; quia doctrina oppositorum procedebat de actionibus honestis moraliter, non est autem actio honesta moraliter, mori propter errorem, vel vincere tentationem ob finem inhonestum. *Hinc jam*

INFERRI potest 1. Notitiam omnium veritatum non posse haberi sine gratia supernaturali.

RATIO. Quia multa sunt objecta, & multæ tales notitiæ, quæ sunt in entitate supernaturalis, ergo illas habere, dependebit à principio supernaturali.

INFERRI posset 2. Notitiam veritatum maxime circa ea, in quibus potest bene vel male operari anima, requiri gratiam specialem à dono creationis distinctam.

RATIO. Quia circa hæc potest esse cogitatio non congrua, eritque necesse recurrere ad Deum feligentem congruam.

INFERRI posset 3. Ad multas veritates etiam naturales, requiri gratiam (quantumvis ordinis naturalis) majorem, tamen & specialio-rem, quam soleant ordinariè dari.

RATIO. Quia sunt aliqua objecta difficilia ita, ut illorum attingentia deponat comprincipium ordinariis majus, tale est objectum v. g. compositio continui, quadratura circuli, & alia similia, quæ veritates legitime attingi non possunt, vel ob suam difficultatem, sine gratia speciali licet ordinis naturalis.

DIFFICULTAS II.

Concluditur Intentum.

PROpositam questionem quæ intercesserat inter Vasq. & Suar. breviter compingo, determinando, an sit necessaria gratia per Christum ad actus honestos moraliter, licet illa sit in substantia naturalis. Ut voluit Vasq. an verò non sit necessaria. ut voluit Suar.

ASSERO 1. Quod opera honesta moraliter non possunt fieri sine gratia. Tum quia. non possunt

fieri sine cogitatione congrua, quam offerre spectat ad Deum; & non est in potestate operantis, selectio illius. Ergo non possunt fieri sine gratia. Tum quia passim exstant Locutiones PP. universales, quæ omnia nostra bona tribuunt gratiæ, sine exceptione. Tum quia nomine gratiæ venit donum ex amore collatum, & quidem in bonum donatarii, & tale, quod non sit situm in potestate donatarii; hæc autem omnia, conveniunt cogitationis congruæ ad bonum honestum, collationi.

ASSERO 2. Gratiam illam esse condistinctam à dono creationis, non quidem ordine, sed specialitate, & formalitate non debite per obligationem. Quod illa gratia non sit distincta ordine, nihil est in hoc difficultatis: Omnia enim ordinis naturalis, qualis supponitur illa gratia, habent eundem ordinem, cum gratia creationis. Quod autem illa gratia sit speciale donum distinctum à dono creationis. Ratio est: tum quia quæ sunt separabilia realiter, & quorum uno posito non ponitur aliud, illud habet distinctam suam entitatem; jam autem posito dono creationis, potest adhuc non poni congrua cogitatio ad bonum honestum moraliter; quod autem illud donum sit speciale. Ratio est: quia non est illa determinatio & connexio, ut posita gratia creationis, hoc ipso ponantur nonnulli congruæ cogitationes, connexæ cum bono honesto moraliter.

ASSERO 3. Hæc ipsa gratia an possit dici gratia sine addito, quæstio est de voce, melius videtur loqui; qui hanc gratiam nolunt esse gratiam sine addito: Ratio: quia gratia sine addito, est gratia asserta contra Pelag. & Semi-Pelagianos: hæc autem non debet esse stans in eodẽ ordine cum gratia Creationis: unde etiam admittebant illi præter gratiam creationis, gratiam doctrinæ, & exhortationis: quia tamen non admittebant aliquod supernaturale interius doctrinæ, erant. Et hoc expressit Aug. epist. 9. 5. ad Innoc. illam confiteatur aperissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat, & prædicat esse propriam Christianorum; quæ non est natura, sed quæ sitatur natura, non auribus sonante doctrina, & alio quo adjumento visibili &c. sed subministratur spiritibus, & oculis à misericordiâ &c. Quamvis autem admittamus illa opera fieri ex gratia saltem latiori modo, nullo modo dicemus illa esse meritum aliquod de congruo ad salutem: quia hoc videtur accedere ad Semi-Pelagianismum saltem deductivè.

DICES 1. cum Ripalda d. 104. n. 113. Gratia philosophica debet esse gratia à dono creationis distincta, quæ sit donum naturæ rationalis etiam in hoc rerum ordine constitutæ indubitum; sed plerumq; efficitur actio honesta moraliter sine hoc dono scilicet per cogitationem congruam, excitatam ordinario concursu agentium naturalium.

RESPON-

RESPONDETUR. Positâ illâ excitatione extrinseca, quæ facit, ut opportunè Deus in hac materia offerat cogitationem; selectio quoad rationem congruæ, tota pendet à Deo: verè enim potuisset esse ille concursus objectorum, & tamen non haberi cogitatio congrua.

DICES 2. cum eodem. Cogitatio sufficiens, & nata consequi ad gratiam creationis, v.g. sufficientia ad discurrendum; non est beneficium speciale distinctum à gratia creationis. Ergo neq; efficax.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia gratia prædicta, est quid pro præsentis statu necessarium, & affixum ipsi tali creationi. Jam autem cogitationes congruæ, non censentur necessario affixæ creationi, ponuntq; effectum, quem non ponunt sufficientes.

DICES 3. Cogitatio inferens efficaciter peccatum, non est auxilium simpliciter indebitum naturæ rationali ad peccandum: alias plura indebita auxilia ad peccandum offerret Deus, quam ad honestè agendum. Ergo etiam neque cogitatio honesta, impetrans consensum honestum erit auxilium indebitum.

RESPONDETUR. Retorquendo Argumentum: cur collatio auxilii efficacis supernaturalis, idque sub titulo efficacis, sit speciale beneficium, non autem cogitatio inferens peccatum. Deinde negatur dari ullam gratiam efficacem ad peccandum, seu inferentem efficaciter peccatum. quia illud quod est efficaciter ad aliquid, non potest esse nisi tale, ut concurrat ad illud ex sua natura, & inclinatione, & ad illud ordinetur. Gratia autem sufficiens non concurrat ad peccatum. Sed posito etiam dari cogitationem efficaciter inferentem peccatum. Negatur Consequ. quia illa cogitatio non est donum in bonum donatarii, cum sit ordinatum ad peccatum, quod non est bonum creaturæ intellectuali. Jam autem cogitatio congrua, ordinatur in bonum donatarii.

DICES 4. Quod sine errore fiat opus mechanicum non est specialis gratia Dei, quamvis potuisset Deus eo modo providere homini, quo prævidit illum fuisse erraturum: quia ex ordinem rerum naturalium, acquirit notitiam, & artem artifex.

RESPONDETUR. In opere mechanico duo considerari possunt, voluntas operandi honesta; & hæc pendet à selecta cogitatione, quæ est donum Dei, Secundò in opere mechanico, est ipsa externa operis factio, idque secundum habilitatem complexionis ejusdem artificis. Cumque hic nihil sit specialis honestatis, possideatque creatione suam complexionem artifex, fit, ut ad hæc non requirat gratiam condistinctam à gratia creationis.

DICES 5. Plura sunt opera virtutis adeò homini facilia, ut in omni serie reperiantur. talia sunt providere Parentibus, amare filios.

RESPONDETUR. Etiam talia pendere à gratia, licet illam promiserit Deus offerre, offeratque passim propter bonum universi. Sed id non destruit rationem gratiæ. nam sparsa in commune gratiâ, adhuc gratia est.

INFERES. Etiam infideles posse opera honesta moraliter exercere.

RATIO. Tum quia. Damnata hæc propositio Baji. Omnia infidelium opera sunt peccata; & tamen ex hac propositione deducitur, vel necitur, quòd infideles non possint exercere opera honesta moraliter. Tum quia. Bene possumus suadere Ethnicis Eleemosynam; quod non posset fieri, si opera illorum talia, non essent honesta, sed peccata: Tum quia. Ut urget Suar. lib. 1. cap. 6. n. 8. Fides non est circumstantia boni operis moralis. quia non oportet, ut ille actus sit supernaturalis. Rursus cur non etiam ad honestum finem dirigere poterit suas actiones infidelis; idq; nihil cogitando de idolo. Ad locum Pauli ad Rom. 4. agentis. Omne quod non est ex fide, peccatum est: dici potest; illud quod repugnat fidei, & quod ex infidelitate nascitur, peccatum est: quanquam per Suar. nomine fidei, venit inibi conscientia, de hac enim in contextu loquitur, omne autem quod est contra conscientiam, peccatum est. Quando autem ad Titum 1. infidelibus dicit, nihil est mundum, accipi debet locus, quòd quæ faciunt infideles ex infidelitate motivoque infidelitatis, non faciant mundè. Sine fide etiam impossibile est placere Deo: quia scil. non habens fidem non potest placere, hoc est justificari.

Quid autem sentiendum de mente August. qui videtur docuisse omnia Ethnorum opera esse peccata, ita habet l. 4. contra Jul. c. 3. Lib. 5. de Civ. c. 12. l. 19. c. 25. l. 13. de Trinit. c. ult. l. de Contin. c. 13. l. 1. de Nupt. c. 3. ubi c. 12. ait: *Non potest esse pudicus veraciter qui non propter Deum verum, fidem connubii servat*, unde illud Argum. Aug. *Aut in animo fornicante pudicitia esse potest, aut in infideli pudicitia esse non potest.* Lib. item 1. de Grat. Christ. c. 26. & Præf. in Psal. 30. hæc habet, *attenduntur opera tua* (supple infidelis) & *inveniuntur omnia mala.* Addit Suar. etiam rationes quibus id probabat Aug. c. 7. sed etiam exstant loca Aug. quæ ostendunt etiam in Infidelibus reperiri bona opera; loquens enim de Polemone Gentili revocato ad continentiam per senocratem philosoph. ait epist. 130. *Nam si illum cognosceret, supple Deum, & pie coleret, continentia illa non tantum ad hujus vitæ honestatem, sed etiam ad futuram immortalitatem illi profuisset.* Similia habet l. 1. de grat. Christ. c. 24. l. de Patient. c. 26. & 28. l. de spir. & lit. cap. 27. ubi loquens de Ethnorum factis, inquit, *quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus.* & l. de bono conjug. cap. 6. *Conjugalis concubitus, filios*

filios procreandi gratia non habet culpam; quæ sententia est generalis, adeoque extensivè ad Infideles. Negat ergo illis virtutes hoc sensu, quasi meritivas vitæ æternæ, & ita loquitur contra Jul. c. 13. Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil prosint homini virtutes, non sunt verè virtutes. Loquitur item Augustinus, quod regulariter loquendo, nihil boni operentur infideles; quando autem dicit omnia infidelium opera esse peccata, loquitur de illis prout profectis, ex Infidelitate.

DIFFICULTAS III.

De necessitate Gratia ad vitanda venialia.

DICENDUM est: *Sine gratia speciali neminem posse in natura lapsa vitare omnia venialia.* Est articulus fidei, fundatur imprimis in Scriptura 1. Joan. 1. dicitur: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Trident. Sess. 6. can. 23. sic habet: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit, posse in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, Anathema sit.* Innuit etiam id Aug. qui agens lib. de Nat. & Grat. cap. 36. quomodo omnes homines peccent; neminem immunem facit, *excepta*, inquit, *S. Maria V. de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem.* Unde Suar. Gran. Tolet. & alii dicunt etiam Apostolos, confirmatos licet in gratia, venialiter peccasse. Idemque dicit de S. Joan. Bapt. Suar. & Gra. & post illos Arriaga de Justif. d. 51. & addit, quod enim unus aut alter Doctor tribuerit huic aut illi Sancto, non sufficit ullo modo ad exceptionem à Regula. Cæterum S. Joanni immunitatem à veniali tribuit Galatinus, Catharinus, Abulen. Lorinus. Sed tribuinè poterit aliis? Respondet Oviedo, id ab omni fundamento esse alienum, & nullo modo audiendum. Vasq. tomo 2. in 3. p. d. 120. c. 5. docet, quod asserere à lege hac ordinaria esse exceptos paucos aliquos, veluti Joannem Bapt. sit temerarium. Procedit autem Assertio de longo tempore: quia brevi aliquo tempore omnia, inquit, Ripal. d. 117. n. 11. & peccata omnino deliberata longo tempore caveri posse, plures Theologi admittunt. Accedit Ratio S. Thomæ adlata 1. 2dæ. q. 109. a. 8. quia ex una parte appetitus non est subiectus rationi plenè; ex alia parte mobilitas voluntatis, quæ se ad exercitium libertatis ab uno ad aliud transfert, occasiones item tot, juxta communem providentiam ostendunt, hæc omnia longo tempore vitari non posse.

Colligo hinc aliqua quæ de venialibus ad eruditionem sciri possunt. Durand. in 2. d. 28. q. 3. n. 8. docet, non quidem de peccatis venialibus

ex subreptione, sed deliberatè commissis, quod per longum tempus cum effectu vitari possint. Suarii verba sunt l. 9. de Grat. c. 8. 25. non solum per totam vitam, verum etiam nec per notabilem ejus partem posse de aliquo sancto cum fundamento affirmari, recepisse donum carenti omni peccato veniali, etiam ex subreptione per longum tempus. Soto & Vega admittunt, deliberata venialia posse per unum vitari diem, quod etiam non improbabile putat Suar. cit. n. 29. Quando autem dicitur Prov. 24. Septies in die cadit Justus, ad hoc dici solet: quod particula in die non sit in Hebræo, nec in Græco; nec in Bibliis Sixti, & citatur hic locus ab Aug. l. 11. de Civ. c. 31. sine addito in die. Addit Suar. Justos quinec toto die, nec in aliqua ejus parte otiosi sunt, & in bonis operibus diligenter occupantur & frequenter per orationem ad Deum ascendunt, moraliter & cum minori difficultate, posse per diem integrum hæc vitare peccata.

OBJECITUR communiter. Assumiturque hic medius terminus. Quod si possit justus aliquo tempore vitare omnia venialia, possit etiam omnia. Quem medium terminum ita sibi opponit Ripal. citatus supponitque; quamvis homo non possit determinare tempus secuti peccati, posse illud à Deo comprehendere, supponitque v. g. hoc tempus esse tempus dierum 10. quo supposito sic formatur Argumentum. Qui vitat divisivè unum peccatum post aliud, & singula peccata numeri denarii occurrentia, divisivè unum post aliud, vitat collectivè omnia: collectio enim omnium existit successione unius post aliud; nec aliter justus, etiam cum speciali privilegio vitare omnia; at justus potest moraliter vitare divisivè unum peccatum post aliud, seu singula peccata v. g. denarii occurrentia divisivè unum post aliud; quod ipsum probatur quia post vitatum primum, potest moraliter vitare 2. & post 2. 3. non enim manet diminuta, aut defatigata virtus ad aliud, sed eodem profusus modo ac si primum non vitasset. Sicut sol æquè hodie ac cras potest illuminare: quia virtus illuminandi, absque diminutione & defatigatione, eadem perseverat.

Hunc ipsum medium Terminum sic aliter proponit Oviedo citatus supponitque tres dies, & arguit; non minus est liber in 3. die, si vitet duobus prioribus peccaverit, si vitet in 3. non peccet. Ergo etiam si non peccasset, idem poterit; quod ultimò in hoc resolvitur, quia peccasse aut non peccasse tempore præcedenti, nihil conducit, vel non conducit ad peccandum nunc.

RESPONDET 1. Molina. In his eventibus liberis non esse necessarium tempus assignare determinatum, sed hoc vagè & indeterminate esse sumendum. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia redit argumentum factum etiam in vagè sumpto tempore & indeterminate.